

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Angelus n (2)  
cum fonte primo

Ve nobis! Si quando  
prouocati sancti angeli peccatis et negligenciis  
nostris, indignos nos iudicauerint presencia  
et uisitacione sua,

et  
quorum presencia protegere nos  
et propulsare poterat inimicum.  
Quod si tam necessariam habemus  
familiaritatem dignacionis angelice,  
cauenda est nobis eorum offensa  
et in hiis minime exercendum  
quibus eos nouimus oblectari.  
Hec autem placent eis  
que in nobis inuenire delectant  
ut est sobrietas, castitas, paupertas, uoluntaria,  
creber in celum gemitus. Et

super hec omnia ueritatem et pacem  
a nobis exigunt.

Bernardus ibidem (in sermone de angelis).

Vae enim nobis,  
si quando provocati peccatis et negligentias  
nostris, indignos nos iudicaverint praesentia  
et visitatione sua,  
ut iam necesse habeamus et nos plangere et  
dicere cum Propheta: AMICI MEI ET PROXIMI MEI  
ADVERSUM ME APPROPINQUAVERUNT  
ET STETERUNT, ET QUI IUXTA ME ERANT  
DE LONGE STETERUNT, ET VIM FACIEBANT  
QUI QUAEREBANT ANIMAM MEAM,  
elongatis nimirum eis,

quorum praesentia protegere nos  
et propulsare poterat inimicum.  
Quod si tam necessariam habemus  
familiaritatem dignacionis angelicae,  
cavenda nobis eorum offensa,  
et in his maxime exercendum,  
quibus eos novimus oblectari.  
Sunt autem plurima quae eis placent et  
quae in nobis invenire delectant,  
ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria,  
crebri in caelum gemitus, et  
orationes cum lacrimis, et cordis intentione.  
Attamen  
super omnia haec unitatem et pacem  
a nobis exigunt  
angeli pacis.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones in commemoratione Sancti Michaelis*, 1.5 (SBO 5,  
J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds.,  
p.297, ll.10-21).